

D. J.  
DISSERTATIO GRADUALIS,  
DE  
NOXA  
MATERIALISMI  
IN  
OECONOMIA,  
QUAM  
*Cons. Ampl. Fac. Philos. in Acad. Auraica*  
PRAESIDE  
D:NO PETRO KALM,  
Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord.  
Reg. Acad. Scient. Holm. nec non Societ. Lit. Ups.  
MEMBRO,  
*Publicae censurae modeste subjicit,*  
JONAS HENR. MENNANDER, Joh. Fil.  
V. D. M.  
TAVASTENSIS,  
In AUD. Majori Die XXIII. Aprilis Ann. MDCCCLX.  
H. A. M. S.

ABOAE, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

-i-

S:ae R:ae MAJ:tis  
MAXIMAE FIDEI VIRO,  
*Reverendissimo PATRI ac DOMINO,*  
D:NO CAROLO  
FRIDERICO  
MENNANDER,  
S. S. Theologiae DOCTORI CONSUMMATISSIMO,  
Dioeceseos Aboënsis EPISCOPO EMINENTISSIMO,  
Reg. ibid. Academiae PRO-CANCELLARIO MA-  
GNIFICENTISSIMO, Venerandi Consistorii Eccle-  
siastici PRAESIDI GRAVISSIMO, Scholarum per  
Dioecesin EPHORO ADCURATISSIMO, Regiae  
Scientiarum Acad. Svecanae MEMBRO  
MAXIME INCLYTO,  
MAECENATI SUMMO.

*Homines infra mediocritatem positi, dum audacter Virorum, qui summis atque illustrissimis in republica officiis & negotiis praesunt, limina petunt, videntur ipsis non tantum molesti, sed nec temeritatis & audaciae notam effugere posse. At uti Hi Summi Numinis providentia ad tantos honores adscenderunt, ita etiam illos singulari patientia & humanitate ornavit & donavit. REVERENDISSIME PRAESUL, Es distentus variis negotiis, est multitudo clientum adiens*

atrium TUUM permagna. Ast sunt TIBI etiam animi bona summa, omnes in admirationem & venerationem TUI allicientia. Patiaris igitur, MAECENAS SUMME, pagellas hasce omni nitore destitutas, radiis splendoris fulgentissimi Nominis TUI, illustrari, Cui illas consecrare ausus sum. Ratio audaciae multitudo beneficiorum TUORUM, REVERENDISSIME PATER, est. Abunde enim non tantum Parentem, dum in vivis fuerat, his mactare, sed & eorum numerum post obitum ejus luctuosum, ea in memet cumulando, mirum in modum augere, dignatus es. Etenim calamitatibus immerso, semper dextram porrexisti, consiliis saluberrimis animum prope fractum erexisti, nec intermisisti unquam, summo amore excogitare, qua ratione fortunam meam sublevares. Quantum TIBI, VIR MAXIME, debeo quisque jam videt; quid vero rependam nescio. Ne tamen prorsus immemor horum videar, foetum hunc immaturum, in signum gratissimi subjectissimique animi, TIBI, REVERENDISSIME PRAESUL, Sacratum esse volui. Adspicias, VIR SUMME, cernuus oro, munuscum vile gratioso vultu, meque ulteriori TUA GRATIA, Beare haud graveris. DEUS Ter Optimus & Maximus, TE, in Patriae & Ecclesiae emolumentum, Reipublicae literariae fulcrum, Familiae TUAE nobilissimae gaudium, omniumque clientum TUORUM patrocinium, plurimos per annos, florentem vigentemque conservet; ita ex intimo pectore vovet

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

*cliens devotissimus,*  
JONAS. HENR. MENNANDER.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,  
D:no Mag. ANDREAE SALOVIO,  
PASTORI animarum, quae DEO in Orihvesi colliguntur, meritissimo, vicinique Contractus PRAEPOSITO  
gravissimo,  
PATRONO Benignissimo.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,  
D:no GUSTAVO ROTHOVIO,  
PASTORI coetus divini, qui in Pälkäne floret,  
meritissimo, adjacentis Districtus PRAEPOSITO gravissimo,  
PATRONO omni venerationis cultu ad cineres  
usque colendo.

Subit jam oculos Vestros, Patroni & Fautores optimi, rudis & immatura opella, quam Nominibus Vestris ornare sustinuerim. Poenitenda mihi utique foret temeritas, nisi notus omnibus esset, favor ille singularis, quo omnes illos, qui Musis impigre litant, amplecti soletis. Suspiciatis, igitur, humillime oro, Fautores & Patroni indulgentissimi, chartaceum hocce donum, ea benignitate, non qua meretur, sed quae Vobis propria est, & cujus auctorem saepius participem facere voluistis. Pro Vestra denique incolumitate, omni felicitatis genere ornanda, vota serio fundere, non prius, quam vivere, desistam, permansurus

NOMINUM VESTRORUM

*cultor humillimus,*

*I. N. J.*

Crederes certe homines anima rationali praeditos tanta dementia teneri non posse, quin Numen aliquod, cui omnia originem suam debent, agnoscere velint. Praesertim quum Creator potentissimus juxtaque sapientissimus, ex arcana Majestatis suae sede prodiens, sese manifestum reddere voluit, non tantum lege, quae cordibus nostris inscripta, sed etiam operibus. Ex quibus cuivis constare potest, non de vera modo ipsius existentia, sed etiam de attributis perfectissimis, cultuque & veneratione, ipsi competentibus (\*). Dolendum tamen, homines extitisse, qui veritatem luce clariorem prorsus negarunt. Existunt & hodie, qui, quamvis subtilius, id ipsum faciunt; varias in scenam producentes opiniones, quibus DEI existentiam & attributa impugnant, omnemque religionem veram eversum eunt: Homines bestiis se assimilantes, animae suae simplicitatem & immortalitatem non agnoscentes, & sic semper latam viam cupiditatibus suis pandentes. Quam pestiferum influxum ejusmodi deliria habent in rempublicam, non sinit ignorare aliquem experientia. Ut itaque res eo clarior eva-

-1-

dat, omissis opinionibus ceteris, quas sibi finixerunt homines male subtile, *Materialismi* noxiā & mala (prout ferunt ingenii vires,) quae Oeconomiae adfert, in his pagellis exponere proposuimus. Tuum tamen B. L. qua par est, modestia, benignum expetentes judicium.

(\*) *Rom. 1: 19, 20. ibid. 11: 15.*

## §. I.

Non inconveniens videtur proposito nostro, brevem ideam *Materialismi* praemittere, ut melius appareant ejus consectaria. Quem cum Maxime Reverendo D. D. WALLERIO dicimus esse hypothesin, *nulla alia entia, nisi corporea, vel materialia existere admittentem, Deum pro ente corporeo & animam humanam pro materiali & mortali habentem*. Addam & hoc: licet nonnulli, qui materialismo sese addixerunt, Deum fortassis spiritum agnoscant (si Deum unquam admittant) animam tamen humanam corpoream, nihilque hominis superesse post mortem, praeter cadaver, firmiter sibi persvasum habere videntur. Pronam itaque ad atheismum pandit viam. Praeterea, quum materia aliter quam per necessitatem Physicam agere non potest, sequitur DEI & Hominum actiones, immutabili & absolutae necessitatis legi subjici debere, providentiam & libertatem agendi nullam dari. *Vide hac ipsa prolixius, in WALLERII Praenot. Theol. Part. I: §. 175: & seq. item Part. II: §. 31. &c.* Plurimos veterum, post *Democritum* huic sententiae fuisse addictos, historia docet, quibus enumerandis hae pagellae non sufficerent. Inter Christianos, huic opinioni assensum praebuerunt: *Tatianus Justini Martyris discipulos, Irenaeus, Tertullianus, Lactantius, Pompanatus, & ejus discipulus Pertius, Baebmiusque.*

-2-

Eminentissimus vero Materialistarum recentiorum *Hobbesius* est. Hunc secuti *Tolandus, Covardus, Thomasius & ceteri. Vide WALL. Psyc. Rat. §. 20.*

## §. II.

Posita itaque hac hypothesi, ponuntur mala haec consectaria simul: Primo: *quod omne verum incitamentum ad religionem prorsus evertat, & sic vinculum firmissimum societatis disrumpat* (\*). Materialismus enim, praeterquam quod spem & metum futurae vitae tollat, etiam providentiam Divinam, quae conservatione, concursu & gubernatione constituitur, negat §. [r?]: Quibus negatis sequitur, Deum non praebere homini motiva ad actiones bonas, neque eas dirigere ad gloriae suaे manifestationem, indifferensque ipsi esse, utrum colatur aut non, aut quomodo fiat: Si detur qua religio, sive nulla.

(\*) *Quamvis religionem vinculum societatis dicamus, minime tamen, primarium ejus scopum esse, statuamus; qui felicitas aeterna est. Neque excogitata est, tantum ad refrenandum plebem, uti nonnulli nugantur, cum religio omni civitate est prior. Religionem ad felicitatem reipublicae plurimum conferre certissimum est. Pravis enim mentis perturbationibus, e quibus maxima mala in rempublicam propullulant, vitiisque imperantium & civium frenum imponit, virtutibusque e quibus salus publica pendet, utpote: concordia, industria, integritate in negotiis, & fidelitate, animos imbuit; Principem, ut juste imperet & cives, ut obedient, instruit; quia omnia ad voluntatem divinam facienda esse docet. Necessitatem religionis in republica ipsi Gentiles agnovere.* Ita Plutarchus: Potius sine sole urbs conspicienda erit, quam sine DEO & religione,

-3-

Cicero adfert de Leg. L. II. Cap. 7. *quod gentiles persiasi fuerint nihil magis hominem obligare posse, officio suo satisfacere, quam convictio de existentia DEI, itaque praeferebant leges, a diis latus esse, ut ipsis robur adderent. Sic etiam Politicae Antistites apud nos sentiunt, ut constat ex Leg. fund. Regni nostri §. I. ubi verba: Rellgionen och den rätta Gudstjensten är den första och kraftigaste grundwalen til et lofligit, samdrägtigt och waraktigt Regemente. Ita etiam in Orat. pro Reg. Acad. Scient. Holm. Ann. 1743. habita, qua inscribitur: Om et Borgerligit Samhälles, eller et Land och Rikes rätta styrcka, samt sätt at komma dertil, Illustrissimus Baro & Chiliarcha H. J. WREDE loquitur, dicens: Rättskaffens Gudsdyrckan är Wishetenes begynnelse, nyttig til allting, är grunden och källan til dygd, goda seder, sämja, til idoghet, och til de gåfwors rätta bruk, som Skaparen lemnade under de förfuftiga Creaturens hushållning; således kan aldrig något Samhälle, utom Gudsfruktans handhafwande och utöfning, blifwa sällt och beståndande, & seqq. Pluribus hanc rem illustrare, esset in clarissimum Solem lumen inferre. Id tantum addamus: quod omnia, quae de necessitate religionis diximus, e[a?] de Christiana nostra precipue intelligenda sint, qua uti vera Prophetarum & Apostolorum doctrina funda[ta?] est, & sola cum politica amicissime concordat, ita etiam t[a?]nto fortius pracepta & officia, qua has requirit, inculcare & urgere valet.*

### §. III.

Rupto itaque vinculo societatis §. 2: *panditur lata ad morum corruptionem & discor[d?]ias via, qua reipublice plurimum nocent.* Etenim Materialismus nulla motiva actionum a perfectionibus divinis sumenda esse postu-

-4-

lat; §. 2: Nullam aliam vitae normam tradit, quam cujuscunque beneplacitum atque commodum: Nulla futurae vitae spe ad virtutes excitat, neque metu futurae poenae a vitiis deterret. §. 1: Nihil itaque impedit, quin quisque perturbationibus mentis suaे pravis velificet, aliumque pro lubitu injuria afficiat, modo id tam dextre & callide faciat, ut animadversioni legum sese surripere queat, unde non possunt non, in varias distrahi partes, unionique, qua tota quanta salus civitatis nititur,

nuncium mittere (*a*) & de morum probitate operam non dare (*b*). Et quamvis lex civilis ad vincendos & coërcendos adfectus sit posita; nihil fere tamen valet, qvum nullo aut perverso religionis sensu reguntur & metu poenae sempiternae a vitiis non detinentur (*c*).

(*a*) *Etsi Script. S. autoritas quemque convincis, solum unionem civium, rempublicam persistere non posse, & contra, Math. XII: 25. Marc. III: 24, 25. Luc. XI: 17. etiam exempla hoc ipsum comprobant, quorum insigne est Romanum imperium. Quamdiu in illo concordia viguit, s[t?]e[t?]it & floruit; at ubi Pompeji & Caesaris discordia in factiones distinctum, brevi eversum est.*

(*b*) *"Quando religio animi levitate & libidine ac protervia, pessumdatur, pessumdatur etiam respublica, ex corruptis & pravis moribus, qui simul introducuntur. Polyb. L. VI. Cap. 54, 55. Idem Polyb. in libro citato: Ille reipublicae status optabilis & firmus est, in quo & privatim san[c?]te innoxieque vivitur, & publicae justitia & clementia vigent. Item König in Lärdoms-öfning 3. Tom: I et Rike, det Inbyggarena äro oseduga och wanartiga, kan Regeringen omöijeligen hafwa bestånd. Et sådant Rike är utan styrcka, ty där är ingen enighet."*

(*c*) *"Utan tron om en Gudomelig Försyn, som straffar*

-5-

det onda, är ingen säkerhet för den mänskliga sammanlefnaden: icke heller för Ofwerheten, hwilkens lif stode i dens händer, som föraktade sitt egit. Undersåtarena skulle lefwa sig emellan, i en stadig oro, mißtroende och bekymmer: och wore ingen synd så stor, som icke begicks för egennyta och winnings skull; allenast en wore slug nog at se sig före, at icke blifwa rögd. Huru mycket försåt, otrohet, bedrägeri, m. m. skulle icke gå i swang? Aterhåll, tacksamhet, redelighet, måttelighet, som gjöra så mycket til lefwernets trygghet och näije, skulle vara Landsflygtige. Sedernas fördärf och skadeliga smitta skulle sätta hela Riket i en neslig swaghet, som ögonskenligen skulle tilskynda deß ödegång." KÖNIG *lib. cit. in Praefat. Tom. II.*

#### §. IV.

Assumpta hac hypothesi, *etiam contemtus Magistratus, legum & juramenti infertur, immo fere omnis integritas & fides in negotiis tollitur, quae res maximi momenti in republica sunt* (*a*). Etenim quum de Deo ejusque voluntate Sanctissima utcunque quivis sentire potest: §. 2: Nulla spes praemii, neque metus futurae vitae datur §. 1: quid obstat, quin facile ad contem[pt]um magistratus depelli possit, Principisque statuta minime servanda esse putet, praesertim cum libertati ipsius invisa videntur; Jurisjurandi fidem labefactet, pactis contractibusque fidem renuntiet, modo habitu, prava sua consilia occultandi gaudeat.

(*a*) SENECA: Thyest: ubi non est pudor, nec cura juris nec Sanctitas, pietas & fides, instabile regnum est. CICERO: Jus & aequitas vinculum civitatis.

-6-

#### §. V.

Materialismus *etiam securitatem in societate civili consequendam, turbat & removet*. Sublato enim metu Numinis & spe alterius vitae. §. 1, 2. Corruptis moribus & dissoluta unione. §. 3: Spretis legibus & eversa fide. §. 4: Nihil superest, quam quod semper metuendum sit, ne ab ejusmodi Hominibus aut eludamur aut vis nobis inferatur.

#### §. VI.

Porro Materialismus his ipsis *diligentiam tollit, omnemque studium, praeclari quid suscipiendi, conandi & experiundi, prohibet*. Praeter enim quod fatum quodam modo infert, *qua opinio absolutam necessitatem rebus imponit, ut nec in melius mutari neque in pejus abire, vel ullo quoque modo variari possint*, vid. WALL. in *praenot. Theol. Part. 2.* §. 37. Atque sic frustraneum esset diligentiam adhibere, vanum aliquid conari & experiri, quod ipsum tamen mandato divino contrariatur; Etiam securitate, fide, integritate, & jure jurendo sublatis, per antea dicta, simul tollitur diligentia omnis, omne studium aliquid praeclari agendi; cui bono enim esset aliquam industriam singularem in re quadam utili adhibere, cum opes multo labore atque sudore, juste licet, conquisitae aliorum saepe libidinem, avaritiam ac pravas cupiditates tantum irritarent.

## §. VII.

Hisce praestructis luce meridiana clarius evadit damnum, quod materialismus Oeconomiae tantum non omni

-7-

adfert. Neminem ignorare existimamus, quid sit Oeconomia, quodque in privatam & publicam dispesci sverit, itaque hac in re multi non sumus. Etsi ex supra demonstratis cuique, nisi talpa coecior esse velit, jam constare potest, quanta mala, quantamque noxam materialismus Oeconomiae adferat, quantamque moram huic studio ponat; lubet tamen nonnullis ulterius rem adumbrare. Agricultura primam partem Oeconomiae constituit, quae non tantum praecipuum victum hominibus, sed etiam rudes materias ad vestimenta, domus &c. praebet, immo certo respectu fundamentum caeterarum artium est. Sed requirit *Agriculturae* jam magnam diligentiam & multum laboris, quia hortum Eden non amplius licet inhabitare. Ast quodnam, quaeso, desiderium, quaenam voluptates, quodnam incitamentum ad diligentiam adhibendam in excolenda terra, sublata securitate, unione & timero DEI, per supra demonstrata; semper enim agricultae timendum, ne labor & sudor exantlatus, bonaque acquisita a potentiori vi aut dolo aut alio modo, rapiantur, praesertim rure, ubi difficilius auxilium obtinetur quam in urbibus? Quam cito langvescer[e?]nt Fabricae, (quibus contem[p]tis vel segniter cultis, res publica vita fere privatur,) hac *hypothesi* assum[p]ta, quae unionem integritatemque in promissis & contractibus, securitatem, diligentiamque, per demonstrata, evertit? Sic etiam se res haberet cum re *Metallurgica*, sine qua mortalium vita prorsus misera esset. Sic cum Commerciis, quae optimis modis felicitatis regni promovenda, merito adnumerantur, quaeque sine securitate, fide & diligentia florere nequeunt. Ponamus e. g. Gubernatorem alicujus provinciae, aut multos alios in munere publico [/publico] constitutos *Materialismo* assensum praebere, simulque cupiditate auri ardere; quanta, quaeso, mala quanta & quam multa lethalia vulnera omni industriae, omni

-8-

propemodum oeconomiae instigere valerent! omnem ardorem, studium omne, in oeconomicis aliquid magni efficiendi penitus exstingverent. Ponamus ulterius Magnates quosdam, atque etiam nonnullos alios, qui ultra plebem sapere volunt, hac opinione imbui; ex eis illa cito propagatur in familitia illorum, & exinde tandem in vulgum; inferiores enim plerumque superiorum & cogitata, & dicta, & facta imitari gestiunt; quid autem tum? infima plebs non conspicit nexum inter infinita mala *materialismum* concomitantia, hinc pravis suis cupiditatibus [/cupiditatibus] omnem januam aperit: Nulla deinde securitas, nullum jus jurandum sanctum; violato autem jure jurando, leges civiles vi prope omni destituuntur. Ex hisce sole clarius patet, quam noxia, imo omni peste pejor sit tolerantia opinionis hujus in omni civitate.

### §. VIII.

Possent haec ipsa prolixius demonstrari; sed angustia temporis & facultatum, qua premimur, brevitatis studium injungit. Tamen vel ex hisce constare posse existimamus, quam pestiferum influxum habeat *Materialismus* in oeconomiam, quamque necessarium sit, antequam in vulgus propagentur, ejusmodi opinones & fictiones novas in negotia universitatis influentes, in boni ordinis nec non decori civilis ruinam tendentes, suffocare, ut simul suffocentur turbae & omnia mala, quae ciere posse experientia docet. Quae autem jam de *Materialismo*, malisque ejus, ac noxia, quae propemodum omni oeconomiae adfert, dicta sunt, mutatis mutandis etiam de contem[ptu] omnis religionis, neglectaque cultus Summi Numinis, in plurimis valere, quisque facili negotio perspicit.

O! Felicem itaque Patriam nostram Sveciam, immo felicissimam, ubi lux vera radiis densissimis lucet, religio

-9-

vera viget, de DEO omnes recte sentiunt, loquuntur & scribunt. Hac luce collustrata, Rex noster mitissimus juste imperat, subditi Regem amant illique obediunt; pietati & bonis moribus student. Avertat DEUS illa tempora, quibus Svecia bonum hoc Auro non vendibile, lacrymis remotum conqueratur! Simus itaque semper memores Datoris, ne Summus rerum Arbitr, ipso neglecto, juste nos negligat: Florent ergo apud nos pietas vera, concordia & boni mores, ut his moeniis contra quosvis insultus muniti, fructibus laboris quiete fruamur, Deumque semper glorificemus,

Cui SOLI GLORIA!

-10-